

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0910

0908

0914

0904

migrante omnes ejus monachi migraverunt cum eo et in uno
monumento locati sunt, quod usque hodie ibidem monstratur.

Non longe a loco vidimus superiora aedificia monasterii
S. Sabiae abbatis, de quo supra longa facta est mentio P. 1.
Fol. 234. A.

Et his visis de monte descendimus et in Bethleem ad
vesperas reversi sumus. Reperimus autem dominum Vaccar-
dinum, (b) potentem Sarracenum de Jerusalem, cum suis fa-
mulis ibi, qui accersito Trutschelmanno nostro cum dure arguit,
quod nos illo die ibi manere permisit eique preecepit, ut in
crastinum summo mane nos deduceret per viam nostram.

Recessus de Bethleem.

XXVII. die statim transacta media nocte venit Calinus
magnus ad habitaculum peregrinorum nosque excitavit ad re-
cessum. Festine ergo surreximus et ingressi specum domi-
nicae nativitatis Officia nostra diximus et Missas legimus in
illo devotissimo loco, a quo invitissime recessimus; nobis au-
tem in celebratione Missarum existentibus descendit Calinus
Sarracenus et magno clamore ad recessum nos stimulavit. Ce-
leriter ergo nos expeditivimus et egressi supellectilem nostram
exposuimus imponendam camelis et incepimus onerare bestias,
et quia illius operis adhuc usum et consuetudinem et artem
non habuimus, nec camelariorum mores, signa et locutiones
minime intelleximus, nec ipsi nos intelligebant, ideo per aliquot
dies cum magnis litigiis et difficultatibus multis onera bestiis
imposuimus. Inde autem oriebatur difficultas, quia camelarii
recipiebant indifferenter de cumulo rerum nunc hoc nunc illud,
ut aequalia onera camelis facerent, et hoc nobis inconveniens
fuit, quia divisi eramus in tres partes, et divisas res habuimus et
non communes, sed camelii erant nobis communes, et hoc non in-
telligebant Sarraci, sed putabant, omnia esse communia et in-
discrete imponebant onera, ita, quod unus camelus quandoque
portavit res trium societatum et sex vel octo peregrinorum; et in
depositione onerum siebat confusio, labor et discursus, dum qui-
libet cogebatur suam supellectilem in tribus vel quatuor locis

22

0409

Ende

Anfang

